

De difficultate urinae : dissertatio inauguralis medica ... / auctor Carolus Christianus Hahn.

Contributors

Hahn, Karl Christian.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Form. Theophili Brüschcke, 1819.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/y4nrrd42>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

12
DE
DIFFICULTATE
URINAE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS

IN
UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE OBTINENDIS

DIE XXXI M. MART A. MDCCCXVIII.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
CAROLUS CHRISTIANUS HAHN
KOEPPERNENSIS HASSUS.

BEROLINI.

FORMIS THEOPHILI BRÜSCHKE.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

OF THE

PHYSICS DEPARTMENT

CHICAGO, ILL.

RECEIVED

APR 10 1964

FROM THE PHYSICS DEPARTMENT

CHICAGO, ILL.

LIBRARY

OF THE

PHYSICS DEPARTMENT

CHICAGO, ILL.

RECEIVED

APR 10 1964

FROM THE PHYSICS DEPARTMENT

CHICAGO, ILL.

LIBRARY

OF THE

PHYSICS DEPARTMENT

V I R O

PERILLUSTRI MAXIME SPECTABILI

EXCELLENTISSIMO EXPERIENTISSIMO

CH. GUIL. HUFELAND

MED. DOCTORI ET PROFESSORI P. O. INSTITUTI
POLICLINICI UNIVERSITATIS DIRECTORI PO-
TENTISSIMI BORUSSORUM REGI A CONSILIIS
STATUS ARCHIATRO ORDINIS AQUILAE RUBRAE
CLASSIS SECUNDAE EQUITI NOSODOCHII CARI-
TATIS MEDICO PRIMARIO ACADEMIAE REGIAE
SCIENTIARUM BEROLINENSIS SOCIETATIS ME-
DICAE PARIS. PETROPOLIT. MOSCOV. VENET.
BRUXELL. HELVETIC. ALIARUMQUE SODALI

PRAECEPTORI

SUMMA PIETATE COLENDO

PATRONO

EGREGIE DE SE MERITO

HUNCCE LIBELLUM ACADEMICUM

GRATO ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Quod nomine difficultatis urinae insignitur malum, non ipse morbus, sed symptoma modo est variorum organa uropoëtica occupantium vitiorum. Quod ita habere in hominibus universi systematis morbo affectis, in quo praeter alia pathemata et urina difficilius et cum dolore secedit vel plane retinetur, nemo non videt; nec minus hoc malum symptoma dici consuetum est, dum alium proprio nomine donatum viarum urinalium morbum uti blennorrhoeam, calculum comitatur. Sed tum etiam, cum locale quoddam organorum urinalium vitium nullam praeter urinae retentionem, et quae inde demum prodeunt, excitaverit aegritudinem, hanc symptoma, morbum vero illud vitium vocandum esse, ultro ex harum rerum notione patere videtur. Symptoma enim dicitur, quod in aegrotis sensuum ope percipiendum ab alia demum, quam quae percipitur, mala affectione originem trahit, hancque prodit. Duplici igitur ratione malum nostrum symptomaticum habendum est: primo impedita urinae excretio symptoma est mali in viis uropoëticis haerentis, deinde hoc ipsum malum ab alio totam fabricam vel ejusdem partem quandam aliam vellicante pendere, et hujus respectu symptomaticum, vel, si mavis, secundarium et consensuale esse potest: in quod discrimen curaturi attentio primo intendenda erit. In morbis universalibus urinae difficultatem non immediate provocari, sed spasmum, inflammationem etc. in vesica, urethra etc. et haec demum difficultatem illam producere, vix opus est monere.

Ad statuendam mali nostri **Diagnosin**, trium ejusdem, a medicis receptorum graduum, dysuriae

stranguriae et ischuriae rationem habeamus necesse est. In dysuria urina difficile, post plures ad mingendum nixus, et cum dolore et ardoris in urethra sensu, flumine urinae aut tenui aut diviso, secedit, ita vero, ut ea missa, nullus, certe non statim, adsit ad mingendum nixus et stimulus, qui autem plerumque mox redire solent. Minimus est hic mali gradus. Majorem Stranguria sistit, in qua urina nonnisi guttatim, cum maximis doloribus, et nixu ad mingendum etiam urina emissa remanente emittitur. Quaedam praeterea jam phaenomenorum consensualium mox sub gradu sequenti adducendorum adesse solent. — Urinae retentio plenaria Ischuria audit vera, cujus symptomata, aut ad organorum uropoëticorum affectionem aut ad reliqui organismi consensum spectant. Primi ordinis sunt continuus sed vanus, ad mingendum nixus, pressione vesicae et corporis positione erecta augendus, maximi in vesicae regione et in perinaeo dolores, qui, urina copiosius accumulata, et ureteres ipsos replente ac extendente, in lumborum usque regionem extenduntur. Notandum vero est, et maxima medici in id dirigenda attentio, phaenomena modo dicta tum in aegrotis sibi parum consciis, soporosis, typhosis, tum in ischuria paralytica plane deficere. — Observatur porro tumor super pube protuberans, ex vesica extensa oriundus, et applicato cathetere, urinae hac ratione copiosa emissa, evanescens. — Alterius ordinis sunt: summa anxietas et inquietudo, variae in partibus tum internis tum externis affectiones convulsivae, vomituritio, ipse vomitus, urinam saepius redolens, sapor urinosus, nonnumquam et sudor, urinae affinis. Vesica et ureteres, cum nonnisi per breve temporis spatium aliquem extensionis et repletionis gradum perferre valeant, mox alia succedunt phaenomena, varia secundum varium hujus affectionis exitum, de quo inter Prognosin.

Phaenomenis allatis alia secundum varios, difficultatem urinae procreantes, morbos, se adjungunt symptomata, ex horum morborum nosologia haurienda.

Praeter illam, secundum mali nostri gradus varios institutam, alia exstat majoris sane momenti symptomatis divisio, ex causarum urinae difficultatem producentium, morborum nempe diversorum in variis ad urinae secretionem et excretionem pertinentibus organis sede desumpta, in renalem, uretericam, vesicalem et urethralem. Nobis vero potissimum videtur, dividere malum secundum illos morbos ipsos, in varios ordines ita digestos, ut illico inde variae curandi methodi derivari possint. Inter haec demum diversitatum a sede mali pendentium justam mentionem faciemus; nec non, cum de curatione in genere agemus, illa quae varie secundum varium mali aut gradum aut locum a medico institui debeant, indicabimus. Diagnosis variae causarum sedis partim ex perceptione dolorum, sensus pressionis etc., in regione partium supra dictarum, partim ex natura morbi, praecipue vitii organici, vel corporis peregrini, in certo casu Dysuriam procreantium, eisque propriis signis desumenda erit.

Causarum, ut dicunt, occasionalium et disponentium inter morborum seu causarum proximarum recensionem, modo sequentem justo loco mentionem faciemus.

Ad morborum differentiam magis jam spectat Ischuria, quae ceteris ejusdem varietatibus opposita, spuria s. renalis dicitur, utpote quae secretionis sistit vitium, (suspensionem nempe hujus functionis in utroque rene) ceteris ad excretionis impedimenta relatis. Natura vero hujus secretionis vitii, cum illis, quae excretionis officium pervertunt, ita plerumque convenit, ut commode una cum his pertractari possit. Secretionum enim aliarum augmentum, illam urinae minuens, vix unquam renum functionem natu-

ralem penitus suspendit, ita ut ischuriam spuriam produceret.

Diagnosis ischuriae spuriae plerumque sat facilis est. Vesica enim urinaria vacua est, nullam hinc catheter immissus urinam educit; omnis in perinaeo et in pubis regione protuberantia, uti et omnis ad urinam emittendam nixus desunt, vomituritio vero, vomitus liquidi urinosi, sudor similis saepius observantur. Adsunt praeterea variarum renum affectionum signa. Attamen probe attendendum, ne urina, ante secretionem renum sublatam in vesica collecta, et nixus vesicae quasi ad mingendum, a calculis vesicalibus producti in errorem nos inducant.

Morbi jam ipsi, urinae difficultatem procreantes, ejusque varias species determinantes, naturae sunt aut magis dynamicae aut magis organicae.

Ad classem priorem Inflammatio, Spasmus et Paralysis referenda sunt.

1) Inflammatio renem utrumque occupans ischuriam spuriam, ureterem vero, vel illi vicinum muscolum psoam, vesicam, urethram, penis glandem aliasque organis uropoëticis partes propinquas infestans, prout ad majorem minoremve gradum est intensa, leniores aut graviores difficultatis urinae varietates provocabit. Praeter causas alias inflammationes concitantes, hic praecipue commemorandus est Cantharidum, Vanillae, Balsamorum naturalium, similiumque specifica in vias urinales actione praeditorum usus nimis, in hominibus praecipue ad morbos inflammatorios dispositis: quibus in casibus et haematuria dysuriam nonnumquam comitatur. Praeterea et arthritis retrogressa, congestiones haemorrhoidales, blennorrhoea urethrae acuta suppressa, exanthemata ad interiora retrogressa, affectiones rheumaticae ad vesicam conversae, et tandem calculi et urina acris nimis diu retenta, inflammationem et urinae difficultatem pedisequam concitare queunt.

Diagnosis difficultatis urinae inflammatoriae ex causis allatis, et praecipue ex febre, ceterisque inflammationibus signis communibus desumenda est.

Difficultati urinae inflammatoriae maxime affinis est catarrhalis, quae leviores inflammationis gradum in cryptis muciparis vesicae et urethrae obtinentem et in muci secretionem auctam tandemque praecipue in vesicae phthiseos quandam speciem, terminandam sistit.

Difficultas urinae varia hic ratione oriri variaeque naturae esse potest; in stadio morbi inflammatorio mere inflammatoria erit, praesente vero jam profluvio, muci excretio cum spastica vesicae et urethrae affectione conjuncta, hanc malo nostro tribuet naturam, tandem hic mucus si viscidus est, urethram nonnumquam obturabit. Muco excreto dolores cessant, et urina facile secedit. Oritur haec blennorrhoea aut ex cystitide praegressa, aut ex causis haemorrhoidalibus, aut ex aliis, et reliquis blennorrhoeis ac catarrhis causis communibus.

2) Spasmus vesicae sphincterem constringens, ortus ex pedum vel abdominis praecipue in senibus refrigerio, ex cerevisiae recentis vel nonnumquam et vini haustu copiosiori, ex congestionibus etiam haemorrhoidalibus, a calculis vesicam irritantibus, vel ex aliis nervos adficiantibus causis, in hominibus ad spasmos pronis, in foeminis hystericis, in infantibus, praecipue dentitionis tempore, in morbis nervosis, spasticis, in typho versatili unicus est, urinae difficultatem producere valens, spasmus verus.

Ceterum vero probabile videtur, constrictionem spasticae affinem, ureterum, maxime vero urethrae ex morbosa contractilitate cellulosa derivandam, saepius causam urinae difficultatis sistere posse; nec non talem constrictionem in renum vasis obtinentem ad ischuriam renalem symbolam conferre.

Diagnosis, consideratis momentis, modo allatis, nulli erit subjecta difficultati. Ceterum saepius Dysuria, et Stranguria huc spectat, quam Ischuria, quae etiam haud diu perdurat, saepius vero, uti et reliqui gradus recurri.

3. Paralysis corporis vesicae eam producit difficultatis urinae speciem, quae in febribus typhosis, in morbis soporosis aegrotis saepe tam exitialis fit. Omnia, quae vim nervorum in genere infringunt, uti nimii in venere excessus, porro laesiones capitis et medullae spinalis in regione lumbari, et tandem consuetudo, urinam nimis diu retinendi huic paralyysi occasionem praebent, quae et dilatationem vesicae sectariam habere solet, nec non et ipsa nonnunquam ab hac originem ducit. Quod ad Diagnosin supra jam monuimus, deficere hic omnes in vesicae regione dolores, quare potissimum in vesicae extensionem, et in excretionis urinae cessationem probe attendendum est.

Alteram morborum huc spectantium classem morbi constituunt organici, quorum iterum duplex exstat ordo. Aut enim in organis partim uropaëticis, partim in aliis vicinis nutritionis seu vegetationis modus ita a norma recedit, ut inde illarum partium functio vel propter structuram mutatam vel propter compressionem, a partibus vicinis oriundam, varia ratione impediatur: — aut organorum urinae excretioni dicatorum, vel situs mutatus, vel compressio et infarctus a corporibus peregrinis urinae difficultatem provocat.

I. Ex vegetationis morbis huc revocanda sunt:

1) Suppuratio, quae in utroque rene obtinens Ischuriam spuriam provocat. Abscessus in vesicae parietibus, aut in urethra difficultatem urinae vesicalem et urethralem producant.

2) Induratio, quae parietes ureterum occupans, aucta simul earum crassitie, canales jam tennes plane

occludit; cystis urinaria callescens, simulque vel dilatata, vel contracta et condensata, quod in senibus praecipue saepius contingit, sui ipsius contractionem impedit, induratio vero corporum cavernosorum aut prostatae, uteri, ovarii, intestini recti et glandularum mesenterii compressione agunt: et prout hoc illudve organorum uropoëticorum comprimunt, difficultatem urinae aut uretericam aut vesicalem aut urethralem concitant. Et scirrhum quarundam partium dictarum huc spectare, vix opus est monere.

3) Laxitas membranae internae ureterum, valvulam quasi urinae defluenti opponens, hujus excretionem impedit. Eadem laxitas causam praebet dilatationis vesicae; nec non memorabilis illius in quibusdam locis tunicae nerveae et intimae extensionis, quae vesicae saccatae nomine plerumque venit. Egrediuntur hoc in casu tunicae dictae inter fibras musculares, et cellam formant tenuem, nullis fibris muscularibus instructam, in qua urina retinetur, cognoscenda ex multiplici super pube protuberantia.

4) Varices; saepius ex causis potissimum haemorrhoidalibus venae cervicis vesicae sanguine plurimum distenduntur.

5) Tandem huc spectant quaedam vegetationis spuriae producta, qualia sunt: Sarcomata, polypi vesicae, steatomata mesenterii, ovarii, uteri etc. ureteres vel vesicam comprimunt; Vesicae ipsius degeneratio, in qua crassitiem morbosam, fibrarum muscularium augmentum nimium acquirit; pseudomembrulae urethrae, ex ejusdem inflammatione residuae.

II. Causae mechanicae.

Etsi plures causarum supra allatarum ratione, ut jam monuimus, mere mechanica Ischuriam producant; hic eas tantummodo communi nomine colligimus, quae non solum mechanice agunt, sed ipsae naturae mechanicae sunt, aut saltem methodum medendi praecipuis mechanicam sibi exigunt: Sunt autem:

1) *Variae organorum situs mutationes.*

Prolapsus vesicae membranae internae, aut totius vesicae inversio, in foeminis praecipue: Hernia vesicae; prolapsus internae urethrae membranae. Porro et intestini recti, vaginae, uteri prolapsus, aut hujus retroversio simili agunt ratione.

2) *Obturbatio ureterum, ostiï vesicae et urethrae per calculum, sanguinem coactum, mucum tenacem, hydatides.*

Ex his praecipue calculi non tantum mechanica ratione ischuriam procreant, sed saepius etiam et spasmos et inflammationes et ita demum urinae difficultatem excitant.

3) *Tandem optime huc compressio colli vesicae per faeces duras, nucleos cerasorum etc. in intestino recto contentos revocatur.*

Quoad Prognosin respiciendum est ad mali et gradus et causas. Dysuria et Stranguria, in se sine causarum respectu consideratae, nullum fere, praeter aegroti dysphoriam, ferunt incommodum ac periculum. Ischuria vero completa, nisi mox succurratur, maxima aegroto pericula, imo ipsum interitum minatur. Vesica enim urinaria et extensionem et irritationem nonnisi usque ad certum quendam gradum, in variis varium perferre valens, paucarum dierum spatio aut paralysi aut inflammatione maligna corripitur. Primo in casu dolores omnes illico cessant, urina aut effluit aut pertinaciter adhuc retinetur. Inflammationem immanis dolor, tensio, calor et maxima, omnem tactum recusans, sensilitas, in vesicae regione obtinentia et febris produnt; succedunt singultus, deliria, lypothimiae, sopor, frigus extremitatum, totiusque tandem corporis; aer exspiratus, sudor urinam redolent, urina praeter voluntatem aegroto inscio effluit, dolores cessant; sicque Gangraenam vesicae adesse cognoscimus, quam plerumque mors mox insequitur. Nonnunquam inflammatio in

suppurationem malignam terminatur, posterior vesicae paries perforatur, et urina per intestinum rectum exit, fistulaeque oriuntur in perinaeo. Alias vesica nimis extensa rumpit, et urina, morte mox insequente, in cavum abdominis devenit, inflammationes malignas et gangraenam procreans.

Omnia haec mala eo certius ac citius in reliquam fabricam redundant, quod haec jam praegressis variis pathematibus, ex urinae retentione oriundis, supraque indicatis, in maximam dejecta fuerit debilitatem. Ceterum nostri mali prognosis ex praesagio, morbis, huic occasionem praebentibus, proprio, aliunde hauriendo, petenda erit. Difficultas urinae spasmodica minus timenda, quam inflammatoria; paralytica summa plerumque minatur pericula, praecipue nimis sero cognita, difficilis semper curatu; pessimam fere prognosin habet urinae difficultas ex morbis organicis, inveteratis oriunda.

Cura in palliativam secedit et in radicalem seu causalem. Prior pericula, ex diuturna urinae in vesica accumulatione adeo facile orientia, impedire nititur; quod potissimum fit artificiali urinae aut catheteris aut punctiois ope educatione. In dysuria et in Stranguria hae res plerumque locum non habent, quippe in quibus nequaquam urinae retentio ipsa, sed potius incommoda reliqua, dolores, spasmi etc. praecipuum sistunt momentum, medici attentionem poscens. In plenaria vero urinae retentione mox vel a cathetere vel a punctione auxilium petendum. Ubicunque applicari potest catheter praefereendus est, cui vero inflammatio aut spasmus in collo vesicae et in urethra, aut earundem per varia corpora obturatio obstant, quibus in casibus vesicae perforatio, et quidem, prouti ex ejusdem, varie extensae positione, aut aliis ex rationibus commodius et aptius videtur, vel in perinaeo, vel super pube, vel per intestinum rectum, aut etiam per vaginam instituat necesse est. Ex-

cretione urinae plane impedita, omnia etiam caute evitanda sunt, quaecunque ejus liquidi secretionem augere possent. Absit igitur, quantum fieri potest, omnis potus, praecipue frigidus, absint medicamina, specifica in vias urinales vi praedita, nisi ex aliis rationibus necessaria sint, absit frigus, aeger potius summam observet quietem, omnique ratione cutis transpirationem promoveat ac sudorem.

In cura causali proponenda ordinem, in expositione morborum supra observatum, sequemur.

Notandum hic etiam est, quodsi morbus, difficultatem urinae producens, ipse cum alio morbo aut locali aut universali in nexu est causali, hujus morbi in cura potissimum rationem esse habendam. Oriente igitur urinae difficultate ex suppressa aut retrogressa quadam affectione, exanthemate exempl. grat., cura maxime in revocanda illa affectione versabitur. Ceterum vero retentio urinae ipsa secundum ejus characterem varium tractanda est, qui semper uni alterive classium supra allatarum accensendus erit, quare haud opus est, cum quibusdam auctoribus propriam statuere difficultatis urinae speciem consensualem.

1) Difficultas urinae inflammatoria methodum medendi exigit antiphlogisticam, Hirudines in regione organi inflammati, ipsam venaesectionem, emulsionem spurias larga olei copia paratas, Hydragryrum muriaticum mite, fomentationes calidas ex herbis emollientibus, semicupia, vapores perinaeo aut renibus etc. admissos, inunctiones oleosas, clysmata ejusmodi, quae externa vero sanguinis evacuationi demum succedant oportet. Est, ubi praecipue in leviori inflammationis gradu, spasmodica spincteris vesicae aut urethrae affectio simul adsit, tumque parva Hyoscyami, Camphorae, aut Opii dosis remediis modo dictis, tum externis, tum internis addenda est; praecipuam vero opii cum mercurio dulci compositio sibi acquisivit laudem.

Quodsi inflammatio ex congestionibus orta fuerit haemorrhoidalibus, hirudines ano admoveantur, interne vero Flores sulphuris cum Kali acetico propinetur. — Arthritidem retrogressam, exanthemata ad vesicam conversa, methodo satis nota, revocare conamur. — Si refrigerium praecesserit, praecipue Camphorae doses parvae et balnea calida laudanda sunt, non neglectis, quae supra adduximus.

2) In diff. urin. spasmodica sub levioribus gradibus infusum baccarum juniperi, aqua petroselini, Spirit. nitrico aether. et pediluvia; in gravioribus vero Camphorae usus, externe vero vapores ex infuso herbarum aromaticarum et narcoticarum educti, inunctiones camphorae et opii, et fomentationes ac clysmata sat calida ex ejusmodi rebus parata, nec non balnea calida quam plurimum conducunt. Quodsi spasmus ex abusu diureticorum nimis acrium originem duxit. aut in genere magnus adest ardor in urethra, dictis remediis Emulsiones oleosae, quibus semen Lycopodii admiscetur, addimus. Maximam sequens formula meretur laudem:

R. Ol. amygdal. dulc. recent. express. drachm. sex
Aq. petroselini unc. sex
Mucilag. Gum. arab. q. s. ut f. Emuth.
adde

Spirit. nitrico-aeth. drachm. un.

Laudan. liquid. Sydenh. scrup. un.

Syrup. emulsiv. unc. un.

M. D. S. Omni bihorio cochlearia duo.

Sordes gastricae, hanc difficultatis urinae speciem cientes, vomitoria exigunt. — Saepius haec species habitualis fit, quo in casu Asa foetida cum sapone in pillulis, juncto opio adhibenda erit.

3) Paralytica vesicae affectio Aqua Petroselini, tinctura cantharidum, Balsamis nativis, oleis aethereis, oleo Juniperi, Cajeput, Arnicae, animali Dipelii, spiritu nitrico-aetherico, Camphorae parvis

dosibus una cum infuso florum Arnicae aut Decocto Cortic. Mezerei et praecipue Uvae ursi exhibitis interne curatur; externa vero emplastri Cantharidum in osse sacro applicatio, inunctio linimenti volatilis, oleorum aetherorum, olei Terebinthinae, Tincturae Cantharidum, uti et fomentationes frigidae, spirituosae, praecipuis in iis, quorum sensilitas nimis excedit, aut qui nimio veneris abusu in hoc malum incurrerunt, Clysmata ex aqua frigida exigua, Electricitas, optime illorum remediorum efficaciam augent.

Quodsi haec paralysis aut diutius jam perduravit, et hinc laxitatem et nimiam vesicae extensionem habuit pedissequam, aut ex hac ipsa originem duxit, cura requiritur mox sub laxitatis titulo pertractanda.

In morbis soporosis probe semper attendendum est, num aegrotus justam urinae copiam rite excernat; quod nisi fit, statim urina catheteris ope emittenda est, catheterque in urethra aut relinquendus aut saltem saepius introducendus est, secus enim exitiosa cystidis dilatatio insequitur. Ceterum hic in universi systematis morbi iusta tractatione et ischuriae curandae summa versatur.

4) Suppurationes ad phthisiologiae praecepta pertractandae sunt. Praecipue videndum est, ut aegroti viribus, plerumque sat infractis et nutrimentis et methodo roboranti succurratur. Adhibeantur balnea cum Maltho parata et speciebus aromaticis, balnea martiata; interne Lichen islandicus, Radix Salep et cetera: China et Ferrum, inter omnia eminent.

In abscessibus vesicae probe observandum est, an ad interiora, in vesicam aperiantur, an ad externa. In casu posteriori tumor conspicuus plerumque in perinaeo praecedat, cui ad maturandum abscessum cataplasmata emollientia assidue imponenda sunt. Abscessus quam mature fieri potest, aperiatur oportet, ne fistulosa ulcera oriantur. Ceterum hi casus ad rariores pertinent, et plerumque difficillimi sunt sanatu.

5) Indurationes in genere methodum solventem indicant. Tentanda sunt remedia antimonialia, Digitalis purpurea, Conium maculatum, Folia Belladonnae, Aqua Laurocerasi, praecipue vero Mercurius dulcis, granulo opii junctus, si induratio, callositas vesicam infestaverit, incallescencia vesicae in senibus occurrente maxime commendandus est, utpote qui nonnunquam unius alteriusve hebdomatis spatio naturalem cystidis functionem restituit. Nec remedia externa negligenda sunt: praestat et hic unguentum Hydrargyri cinereum in regione indurationis infricatum; in vesicam etiam injectiones ex herbis Hyoscyami, Conii, Belladonnae, ex aqua laurocerasi institui possunt; Electricitas porro, continuus emplastri conii maculati, Emplast. Hydrargy. Emplast. Ammoniaci et faetidi similiumque usus, semicupia ex herbis narcoticis parata, aliquem saltem nonnunquam praestant effectum salutarem. —

Prostatae scirrhusae, praeter remedia jam indicata et Spongia marina et Decoct. Corticis Mezerei, praecipue vero Setaceum perpetuum in perinaeo applicatum, opponi possunt. — In omni vero induratione maxime attendendum, ne rebus nimis incitantibus usitatis, inflammatio suboritur; quae semper maxima aegroto incommoda fert et in supurationes malignas, ulcera canceratica transire solet.

6) Laxitas membranarum internarum remediis, roborantibus et adstringentibus et interne et externe, siquidem morbus vesicam et urethram corripuit, curanda est.

Injiciuntur decocta Cortic. Peruviani, Salicis, superadditis etiam Zinco, Ferro vel Cupro sulphuricis; iisdem rebus et lotiones frigidae regionis vesicalis instituuntur, nec non fomentationes, quibus et spiritus vini, acetum, solutiones salis ammoniaci addi possunt, quae omnia balneis tum localibus tum

universalibus, frigidis, tonicis et martiatis quam plurimum efficacia augentur.

7) Varices cum vix non semper haemorrhoidalis sint naturae, in hujus morbi ad vasa haemorrhoidalia derivatione omnis cura versabitur. Sulphur igitur, et hirudinum ad anum applicatio hic in auxilium vocanda erunt. Similem menstruorum ad vesicam conversio exiget curam.

8) Vegetationis spuriae producta plerumque extra artis humanae fines posita sunt. Interim hic praecipue et externus et internus mercurii usus nonnumquam aliquod saltem fert levamen. Sarcomata vesicae haud raro praecipue in foeminis prolabantur, et exstat exemplum talis sarcomatis felici cum successu secti. In excrescentiis urethrae, pseudomembranulis ex inflammatione residuis, nec non in genere in omnibus ejusmodi ex crassitie membranae internae urethrae oriunda luminis diminutio — Cereolorum, potissimum remediis solventibus, mercurio, Gummatibus ferulaceis, imo et solutione argenti nitrici fusi, conditorum usus diuturnus optimos saepe exserit effectus.

9) Difficultas urinae ex organorum situ mutato orienda, eorundem ad positionem naturalem reductione tollenda est. Huc pertinet praecipue hernia vesicae per anulum abdominalem prolapsae, per tumorem in regione pubis cognoscenda, et a pressione externe excitata diminuitur, urina nunc defluente. Saepe etiam per uteri prolapsum urina retinetur; et hisce in casibus partium istarum ad situm sibi naturalem restitutio Ischuriam sanat.

10) Difficultatem urinae a corporibus peregrinis pendentem calculus vesicae pondere ad cervicem delapsus, eamque occludens, praesertim si figuram illius assumpserit, efficit. Cura palliativa hic praecipue per catheterem in vesicam immissum et collum vesicae pervium faciens, obtinetur. Saepissime Spas-

mus tandemmodo a calculo in vesica excitatus Ischuriam producit; hinc Balnea tepida, fomentationes emollientes ad perinaeum, clysmata narkotica, interne Opium et emulsiones oleosae perbene conducunt. Cura radicalis auxilia chirurgica exposcit.

CURRICULUM VITAE

EX DECRETO

GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE
BEROLINENSIS

ADJECTUM.

Ego Carolus Christianus Hahn die XXI mens. Martii anni MDCCLXXXV Koepperni in Ducatu Hessen-Homburg natus sum. Parentes ambos, patrem verbi divini ministrum, matremque e gente Klick, superstites Deus optimus maximus mihi servavit; quos ad ultimum vitae terminum pio animo venerabor. Ut meliorem occasionem in liberalibus artibus me excolendi haberem, Giessam profectus sum, ubi illustre Gymnasium, quod in hac urbe sub Paedagogi Doctore Schaumann floret, per quinque annos et dimidium frequentavi.

Anno MDCCCXV celeberrimam musarum sedem Berolini florentem salutavi et die XXX M. Mart: ejusdem anni in album civium academicarum, Rectore clariss. Solgero inscriptus sum.

Ab eo inde tempore hasce fere praelectiones frequentavi: Illust. Knappe de Osteologia, syndesmologia et arte corpora rite secandi, cel. Turte de Physica et chemia experimentalis, Claris. Hayne de Botanice, Claris. Lichtenstein de Zoologia. Cel. Osann de physiologia et materia medica. Illust. Rudolphi de encyclopaedia medica, de anatomia demonstrativa

et practica, de sensuum organis, de physiologia et de anatomia comparata. Illust F. Hufeland de pathologia generali. Cel. Kluge de chirurgia generali. Illust Graefe de chirurgia speciali, de ophthalmiatrice, Akiurgia et de fracturis et luxationibus. Illust. de Siebold de arte obstetricia et exercitationibus in phantomate. Illust. Hufeland de institutionibus medicinae practicae et de therapia speciali, Illust. Berends de therapia speciali.

Institutionibus etiam practicis Illust. Hufeland in polyclinico regio, Illust Horn in nosocomio caritatis, Illus Grafe in clinico regio chirurgico, Illust. de Siebold in instituto Lucinae sacro interfui, et nulla unquam oblivio horum illustrissimorum virorum memoriam gratissimam in animo deliterabit.

Peracto tentamine et examine rigoro coram gratiosa medica facultate, nec non cursu chirurgico-anatomico absolutis, dissertatione ac thesibus rite defensis, spero fore ut summos in medicina et chirurgia hodierno die adipiscar honores.

T H E S E S.

- I. Omnem blennorrhoeam inflammatio praecedit.
- II. Gonorrhoea ad morbos syphiliticos non pertinet.
- III. Nulla datur exanthematum cura, nisi quae febrem respiciat.
- IV. Injectiones adstringentes in haemorrhagiis uteri non sunt rejicienda.
- V. Nil nisi putredo evincit, vitam morte esse exceptam.